

Letter 620: 1 September [1536], Paris, Baptista Nepius [Jean Lenfant] to Capito

This letter is one of two letters Jean Lenfant wrote on the same date, both without a year of composition: the one here to Capito (Strasbourg AVCU, 1AST 159, pp. 305–8, no. 96), the other to Bucer (1AST 159, pp. 301–4, no. 95). All personal and place names are in code. ‘Baptista Nepius’ is a pseudonym for Jean Lenfant, seigneur de Chambray, a leader of the Protestants in Paris, who was in constant danger of his life.

Valde optarem, spectatissime Fabriti, sic temperatas esse res mortalium, ut impii bonorum studiis insultare et praeclaras cogitationes invertere non possent. Declararem sane quanti te facio et quantum pondus semper apud me habuerunt sanctissimae tuae admonitiones. Nunc cum effrenata audacia comprimi, inveterata impietas haud facile deleri possunt, praesentium temporum fatalem calamitatem aequo animo ferre et immortalis foelicitatis spe nos erigere ac vehementer confirmare debemus. Magnam ex adventu Georgii ceperam voluptatem, quod et summi viri ac de me supramodum meriti testimonium locupletissimum adferret, quodque ampla mihi esset occasio inde ad singulare pietatis munus obeundam; sed cum huius seculi labes quieti nostrae invideret nostrisque piis voluntatibus clanculum insidiaretur, coacti fuimus et altas nostras cogitationes dimittere et iniquissimis temporibus cedere. Venerat tuis suavissimis literis mirum inmodum nobis charissimas, singulari autem vitae integritate nobis gratissimus, sperabamusque illum non mediocre ingenii fructum aliquibus mensibus esse percaepturum, verum ubi parum totam pietatem hic fore animadvertisset, maluit ad Passelium nostrum proficisci, quam sine spe iucundissimi fructus sese in gravissimum discriminem coniicere. Grave illi fuit suavissimos amicos relinquere, nobis autem multo molestius non posse propensissimam voluntatem multis beneficiis comprobare.

Cogor, spectatissime praeceptor, hoc genere dicendi uti et praeterire quam vehementer multos confirmaverit illustri commendatione vestrae pietatis haec summam quietem expetunt, quam haec misera temporum facies mihi prorsus denegat dabitque aliquando Christus hoc studii nostris, ut liberas animi nostri cogitationes literis committere possimus. Nec mihi temperarem nec insano adversariorum furori hac in re cederem, nisi Anthonium sperarem vobis recitare posse omnia fideliter. Solum addam Georgium decedentem me obnixissime orasse, ut suo nomine pro immortalibus tuis in se beneficiis tibi et sorori tuae gratias agerem. Valde optarem, sanctissime Fabriti, ut si tibi in tantis occupationibus integrum foret ad nos breviter perscriberes quatenus publice Neare licet adesse. Teneo quae aliquando a D. Felino audivi, quaeque in vestris libris legi. Caeterum nonnulli scriptis vestris plus tribuunt quam fideliter narranti. Ut omnibus res liquido constet, vehementer te oro ut tuis studiis horam unam suffureris, ut amicos confirmos et a maiora impellere possis; eadem a D. Felino contendi. Quandoquidem omnes vobis duobus singularem pietatis eruditionem cum admirabili vitae sanctimonia coniunctam tribuunt. Hique a vobis petunt qui vestri causa omnia cupiunt. Restant multa quae nec sunt huius loci neque temporis. Hoc a te vehementer ut quamprimum amicis laborantibus et spe deiectis vestro consilio, favore et benevolentia subveniatis. Cuperem hic diu manere, ut amicis obsequi possem, sed vereor, ne pervulgata fama in patriam me eiiciat; sed mallet apud vos, si commode fueri possit, nihil enim foelicius unquam habuit quam in vestra benevolentia conquiescere, praestantissimis vestris virtutibus, ad pietatem excitari, sed id mihi propediem dabit Christus. Interim dabo operam ne mihi videar. Vale. Romae. Kalen. Sept. Maiorem perspicuitatem haec tempora non desiderant, nec possum praestare mihi abunde satisfactum erit, si Anthonius prudentem Oedipum praestiterit.

Tuus ex animo addictissimus discipulus,
Baptista Nepius Cambraeus
Salutabis, si placet, omnes amicos et sorores.